



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R. P. Valerii Reginaldi Bvrgvndi Seqvani E Societ: Iesv,  
Praxis Fori Poenitentialis**

Ad Directionem Confessarii, In Vsv Sacri sui muneris ...

**Regnault, Valère <1543-1623>**

**Mogvntiæ, 1617**

Venerabilibvs Animarvm Pactoribvs Salvtem.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78477](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78477)



# VENERABILIBVS ANIMARVM PASTORIBVS SALVTEM.

**Q**VM ex instituti iamdiu à me suscepti ratione, actiones omnes meae debeant esse cum DEI gloria, utilitateque proximorum coniunctae, contendi pro viribus haecenus ne mea studia ab eo fine aberrarem. Suscepi autem ex iudicio voluntateque Superiorum id potissimum studij genus, quod non modò priuatis hominibus ad rationem salutis; sed & ipsis animarum Praesidibus ad officium suum ritè obeundum non mediocriter conferre posset. Constat sanè ex sacris literis exquisitioram quandam à Sacerdotibus, utpote caeterorum Magistris, ac diuini iuris interpretibus, exigi diuinarum rerum notionem: ut praesertim ligandi, soluendique ministerio sibi à Christo imposito, ritè defungantur. Quos enim mazandros flexionesque, conscientiarum sinus habent? hos autem extricare, quanti iudicij est? dirigere verò, & intacta quasi statione collocare, quantae doctrinae? quanti rursus periculi est errare in locis incognitis, & caecorum caecos esse duces? Sanè non hoc solum peccant quòd inscientes sunt, & indocti; sed earumdem sunt etiam flagitiorum, suppliciorumque rei, in quorum abrupta festuntur homines, quos ad DEVM, diuinamque legem ex officio dirigere debuissent. Sed quam talium est luctuosa conditio, tam eorum est honesta contentio, qui ab hac eruditione, qua iuari animae potissimum queunt, probe instructi ac parati, diuinamque facibus Charitatis ardent, in medios quasi fluctus insiliunt; ut quamplurimos è certissimo naufragio suae salutis eripiant. Hac ego spe ductus, & plerosque fore persuasus, quos idem diuinæ Charitatis ardor accenderit, quibus si accesserit necessarium solidioris doctrinae praesidium, non dubium, quin idonea sint alienae salutis instrumenta futura; hunc laborem suscepi, eorum inductionem animi, consentionemque honestae voluntatis adiuturus, non quasi alij desint quorum fructuose in hanc partem incubuit industria; sed quia existimaui non frustra nostram locari operam, si collectis in vnum superiorum Doctorum placitis, nos simul admitteremur, nostroque ex diuturno in hoc Theologiae morali studio comportatis obseruationibus, reliquorum conatibus non nihil adiuuenti afferremus; ut enim scitè dixit D. Augustinus, in hoc rerum genere nec est maioribus inuidendum, nec de minoribus desperandum. Nihil utique mihi tanti fuit, quanti ut vobis, Sacri animarum Pastores, (vos enim meus hic spectat in primis labor) vestrae digni-

71  
tatis admonitus, regia planè, ac si fas est dicere, diuinæ inferuïrem, in animarum lucris conſectandis: eaque præſidia pro modulo meo miniſtrarem, quibus & dignitatẽ tueri, & alijs quã plurimis prodeſſe poſſitis. In quam cogitationem vos adduci non dubito, partim officio, partim neceſſitate; quorum nimirum præcipuè eſt pietatẽ, timorẽque diuinum, inclinatione communium temporum debruïtaſum, ne dicam iacentem, in hominum pectoribus erigere, ac promouere; tumque exiſtimare beatos fore populos, ſi in his Religionis integritas, & virtutis honeſtas effloreſcant: quæ & labores veſtros plurimorum ſalutẽ cumulent: & vos erecti pulcherrimi ſtudij conſcientiã; tunc demum op̄i norum Paſtorum officio defunctos iudicate, cum vobis ſubiectis populis; qua grauitẽ, & eruditẽ docendo, quã ſalutaribus exemplis præluendo, præcipuam diligentiam, curamque impenderitis. Accipite igitur hoc qualecumque eſt noſtræ voluntatis officium, non magnum per ſelicet, ſed ex magno tamen amore, vobisque obſequendi cupiditate proſectum. Cumque ſit ea, quam diximus, in vos voluntas, & obſequium, & voluntatẽ amplecti velit, & obſequio frui.

*Omniũ in CHRISTO ſeruus*

VALERIVS REGINALDVS  
Societate IESV.

**P**A SCITE qui in vobis eſt, gregem Dei, providentes non coacte, ſed ſpontaneè ſecundum Deum: neque turpis lucri gratiã, ſed voluntariè neque vt dominantes in Clericis, ſed forma facti gregis ex animo. Et cum apparuerit princeps Paſtorum, percipietis immarceſſibilem gloriæ coronam, 1. Petri. 5.

